

4

L V D O V I C I
S E P T A L I I
M E D I O L A N E N .
D E N A E V I S
L I B E R .

Ad Illustrissimum
HIERONYMVM CAIMVM
Consilij Italici Regentem .

Cum Priuilegio , Et Superiorum licentia .



M E D I O L A N I , M . D C V I .

Apud Petrum martyrem Locarnum.

LADOGA
EPITAFI
MEDIOLANEN
DE NAEVIS
LIBER
ANTICHIQUITATUM
HERONIUM CAVIUM
Cognitissimis Regestorum
Graecis Sciriisq; Etsi Speciebus illarum



1540. 37. 1. 1. 1.

Ad Illusterrimum
HIERONYMVM
CAIMVM,
Consilij Italici Regentem.



ERE, & sapienter
Comicorum Princeps pronunciasse
mihi videtur, Illus-
trissime Regens,

Tunc denique homi-
nes nostra intelligimus bona,
Cumque in potestate habuimus, ea amisi-
mus.

Nam cum multa pro Iustitia prudenter, pro Tranquillitate strenue, pro Republ. vniuersa piē p̄sens gereres, fructum tamē utilitatemq; inde promanantem tum demū intelleximus, postquam gesserat; è Patria, e Senatu ad maioris dignitatis gradum in Hispaniā abstractus. Vt or propriè hoc verbo. Nam planè inuita è gremio te suo Patria dimisit, quem bonum ciuem produxerat, & quem per plures honorum gradus euectum, bonū Senatorem acceperat, reuera publicum rerum Praesidium & Decus. Dimisit tamen, non amisit; vt pro se absens, vti facis, excubares, res & consilia Italiae magno titulo, magnaq; auctoritate regeres, ac deinde virtutum maximarum p̄emijs decoratus, insinum suum, velut laborum quietem redires. Ego vero etsi maximè absen-

tia

tia tua crucier, quippe cui amicitia
 tua honori, consuetudo voluptati, di-
 gnitas & auctoritas solatio, & saluti
 erat: recreor tamen hoc in primis no-
 mine, quod sub illo PRÆSIDENTE am-
 plissimum Regentis munus obeas,
 quem ob summam prudentiam, &
 doctrinam incredibili affectu vene-
 ror, quemq; adire, & colere per te fa-
 cilius liberiusq; potero, in eminenti-
 non modo rerum, & Regnum, sed
 virtutum, & elegantiarum omnium
 culmine constitutum. Quare viam
 tu mihi istam Illusterrime Reges ad
 maximum PRÆSIDENTEM, ad exé-
 plum illud principum, Illusterrimum
 & Excellentissimum IOANNEM
 FERNANDVM VELASQVIVM
 humanitate tua sternes, siue aperies.
Quod ut facilius fiat, munus ingenij
tibi mitto, iurisq; tui, ac nominis fa-


cio, quod ad Benignitatis illius aram
 religiosè statuas. Misissim ad ipsum
 profectò, & iam quasi destinaueram,
 nisi pusillum & humile scriptū, tan-
 tam Dignitatis excellehtiam verecū-
 dè refugisset. Pusillum enim est, quia
 de Næuis, & vultus humani maculis
 concinniatum. Iniuria, si recte me-
 cum ratiocinor, magno Principi fa-
 cta fuisset; quem ab omni vitæ nævo
 alienum, meliori munere adiri ac sa-
 lutari debere, omnis studiorum ratio
 suadet. Te igitur hunc rogo illustris-
 simo R E G E N S, vt tuo veluti au-
 spicio in publicam lucem, & conspe-
 ctum quoq; Doctissimi Principis li-
 bellum hunc prodire sinas: non qua-
 si in te nœus aliquis alicuius vitijs, aut
 defectus cadat; sed vt tuo nomine
 nouæ contemplationis industria il-
 lustrata, locum, & plausum in publi-

co ingeniorum theatro inueniat. Va-
le Illusterrime Vir, & cultum obse-
quiumq; meum læto animo ex por-
recta fronte admitte. Mediolani Ca-
lendis Maij, M. DC VI.



वार्षिक विद्यालय का नियमन एवं अधिकारी का नियमन
का विवरण तथा उन्हें बोलने के लिए इसका विवरण
प्राप्त होना चाहिए। इनका विवरण विवरण
का बोलने का विवरण है।

C V R I O S O,
ET CANDIDO
LECTORI.



EREOR, equidem
ne si quis ad Næu-
rum inspectionem
vocatus acceſſerit ,
aut auertat velut à
re vili oculos , aut
cum tædio aduertat . Quæ enim dignitas ,
inquiet , quæ utilitas , aut amœnitas effe
in re deformi poterit ; cum natura omnes
pulchrum , non sensus tantum , sed animi


quo-

quoque imperio usurpare appetamus?
 Nolim te absterreat composita, & effecta
 ad veritatem oratio. Nam si locum ratio-
 ni feceris, etiam in Næuo pulchritudi-
 nem, & sic in ipsa hac tractatione Digni-
 tatem, Vtilitatem, & Amœnitatem inue-
 nies. Veneris Amorisq; ille Poeta Naso,
 commendare faciem non dubitauit, in qua
 Næuum aliquē benigna natura expressis-
 set. Quod si ad vniuersi contemplationem
 me conferam, in Cælo Stellæ, in terra ur-
 bes, sylvae, montes, lacus, quid nisi Næui,
 & velut maculae quædam sunt? ut Cice-
 ro ipse appellauit: quæ tamen omnia par-
 tim natura, partim ars ad pulchritudi-
 nem effinxit. Sed mirum perfectò & co-
 gnitione dignissimum, quo ordine per hu-
 manum corpus Næui isti sparsi conve-
 niant, qua harmonia copulentur. Si re-
 Etè consideras, velut indices animi, inter-
 næq; imaginis esse propositos fateare. Næ-

uos igitur expliceo: & quid nisi ipsum ho-
 minem, quem in sola facie beneficio Na-
 uorum repræsento? Sed ut concedam hu-
 milioris argumenti, & secundum tituli
 precium, tenuem scriptionem hanc esse; oc-
 cupare tamen (sed non nisi per remissio-
 nem) me ipse, tenui scriptione, volui: Cùm
 ut ingenij amænitate quadam & publico,
 ut ita dicam, ludo Ciues & amicos meos
 recrearem, quos seueriore iam saepius do-
 ctrinæ argumento occupasse videbar; tum
 (liberè enim dicam) ut paruo libro me
 ostenderem, non in re Medica solum, sed
 in Philosophia, in Astronomia, in cæteris
 etiam scientijs artibusq; mediocriter ver-
 satum. Te igitur compello & rogo Can-
 dide Lector, ut, qui alias ingenium meum
 in grauioribus expertus es, nunc libellum
 istum inspicias, atque ames, in quo cor-
 poris animique tui imaginem non minus
 feliciter, quam diligenter expressam inue-
 nies:

nies: rogo inquam ut Næuos hos, Natu-
ræ ipsius notas, inspicias; Sed Næuos il-
los hominum, qui pallent, tument, desi-
piunt, fugias, atque detesteris. Ita bonus
& saluus, & absque Næuos sis.

କାନ୍ତିରୀତିରେ ମହାଦେଵରୁ ଆପଣଙ୍କ ଜୟତି କାନ୍ତି
କାନ୍ତିରୀତିରେ କାନ୍ତିରୀତିରେ କାନ୍ତିରୀତିରେ
କାନ୍ତିରୀତିରେ କାନ୍ତିରୀତିରେ କାନ୍ତିରୀତିରେ
କାନ୍ତିରୀତିରେ କାନ୍ତିରୀତିରେ କାନ୍ତିରୀତିରେ



LUDOVICI SEPTALII MEDIOLANEN.

DENAEVIS

LIBER,



ITAM, & conditionem mortalium
hūic uni necessitati in primis obstri-
ctam esse naturā vo-
luit, ut summa quis-
que ope, & industria seipsum publi-



cæ vtilitati impenderet, deq; ingenij
sui arca publicum litterarum cœsum
promoueret. Ita enim futurum erat,
ne iam inuentæ paratæque à maiori-
bus artes atq; scientię interciderent,
neue apud posteros inertia atque
ignauia nostra accusari posset, si inge-
nij aliquod monumentum profutu-
rum seculis ipsi reliquissimus. Id ve-
rò et si ad omnes omnino homines,
præcipuè tamen ad eos spectare yide-
tur, qui bonæ naturæ, fortunæ, & in-
stitutionis dotibus facilius feliciusq;
scribendi, ac docendi munus exe-
quuntur. Hi enim, ut Beatus ille Ho-
ratianus,

Nec excitatur classico truci,

Nec horret iratum mare,

Forumq; uitat, et) superba cuium

Potentiorum limina.

Ira remoti ab omni tumultu bellico,

à di-

à diuitiarum studio, ab omni ambi-
tu, ac inuidia dominandi, bonas om-
nes artes discunt, ac docent, quibus,
& militem ad bella forment, & ad
concordiam ciuem hortentur, atque
de optimo vitae genere disputationes,
boni Principis prudentiam laudent,
cupidinem mali castigent. Quare
cum & ego ab ineunte aetate tran-
quillam hanc Musarum, & quietis
viam ingressus sim; enitendum mihi
pro uirili censui, ut si non doctrina-
nam, saltem inuestigadi desiderium
studiumque, quo publica utilitas iu-
uaretur, publicè probarem. Quare
in hanc quoque arenam prodij, rem
aliquam natura sua difficilem, scitu
utilem, auditu iucundam, nulli hacte-
nus pertractatam, nulli percognitam
curiosè diligenterq; excussurus. Quia
vero præcipuum hominis munus ui-
detur

detur esse, naturā hominis ipsius antē rerum omnium indagationem perscrutari, atque cognoscere (quemadmodum diuino oráculo prodijt ~~magis~~ ~~exortōv~~, in animum induxi de hominis natura in primis dissenseret, atq; secundum uarias corporis affectiones, latentes atque occultas à natura tributas animo virtutes i in conspectum proferre. Quæ scientia cum propria nostra censematur, ac de nobis agat, inter omnes iucundissima, iac gratissima esse mortalibus debet. Cùm verò hæc eadem, quid ad boni uiri nomen consequendum, agere, quid uitare debeamus, doceat; inter omnes utilissima, & maxima censenda est. Cùm denique argumentum ipsum homo sit animalium omnium perfectissimus atq; pulcherrimus, scientia hæc quoque omnium perfectissima atq; pulcher-

cherrima meritò habeatur. Itaque toto velut pectorè hanc venustatem è naturæ fontibus hauriamus; pro utili hanc perfectionem indagemus, utilitatem hanc capiamus, hanc denique dulcedinem delibemus. Signorum quibus natura nostra réuelatur sciézia Philosophis obseruata, a Medicis celebrata, ab uniuerso humano genere in precio atque admiratione semper fuit. Sapientes Indi neminem olim ad philosophiaæ studia, aut ad regnorum gubernationem admittentes solebant, nisi priùs exploratis corporis signis, aptum planè, dignumq; tanto munere reperiissent. De hac igitur nobilissima scientia, quam οὐρανοῦ μιαν Græci appellant, dum disputare aggredior, in fortunam consiliumq; prudentis, ac periti nautæ mihi videor incidisse: hic enim dum hono-

ris honesta quadam cupidine obse-
sus, aut lucri desiderio correptus, va-
sta ac immensa Oceanis spacia perer-
rat; ac forte fortuna a recto tramine
& cursu in ignotam terram tempesta-
te depellatur, obsequitur ventis, ce-
dit fluctibus, & si ad terram feratur,
oram, & extremam aliquam rerum
faciem lustrat: Ita penitus mihi ysu-
venisse comperio, qui immensum il-
lud, nec ex omni parte perlustratum
pelagus naturalis Philosophiae ingres-
sus, ut Physiognomiae, amoeniore, na-
turam, idest corporis nostri exteriorē
faciem, & delicias lustrarem; nimiū
laxans ingenij mei vela, & deside-
rio obsequens; quasi in ignota terra-
rum delatus video, in Nauorum in-
quam scientiam, quibus & facies, at-
que adeò uniuersum corpus distin-
guitur; & animus ipse quasi in aper-
tum

tum producitur. At scientiam hanc partem physiognomiae esse, aut huic subiectam, ex argumenti ipsius confinio comprehendi facile potest. Cùm enim physiognomia nihil sit aliud, quam affectionum animi cognitio ab yniuerso corpore, & una quaque parte, in primis vero à facie sumpta; cùmq; à næuis, qui per vniuersum corpus, præcipue vero per faciem sparsi sunt, animi affectiones colligamus; manifestum est, næuos ad physiognomiam pertinere. Tametsi vero mirum id cuipiam fortassis, & quasi longinquum à finibus naturæ atque rationis videri possit; si quis tamen attentiùs seueriusq; rem ipsam pensabit, non minùs admiratione dignum censebit, affirmare, nœum in labris situm hominem parasitum, & ad gulam projectum si-

gnificare; quam si in idem vitium, qui eminentibus, rotundis, tumidisque labris fuerit, inclinatum esse dicamus. Hac de re etsi Melampus Medicus Atheniensis antiquissimus Homero libr. xv. Odyssee nominatus aliquid scripsit, qui solerti quadam industria, quid naui in quaque corporis parte significarent edocuit; etsi quoque inter Arabes Abenragel in eadem arte maius quippiam emolitus, & consecutus sit: Neuter tamen eò penetrauit, ut causam aliquam saltem verisimilem reddiderit: sed quasi metu Empyrici prima quæstione vniuersum laborem clauerunt: quæ quidem infra veri Philosophi dignitatem posita est; quia intra angustias ciusmodi conclusa. Est enim in hac physiognomiæ parte maius, & admirabilius quiddā fœcundiore studio,

& explicatione dignum. Quomodo scilicet, cū pér vniuersum corpus nēui velut casu quodam sparsi sint, certum inter se ordinē, & veluti cognationem habeant: Ab illis enim, qui facie inhārent, reliquos, qui per corporis partes diffusi sunt, dependere, & velut regula certa monstrari posse experientia ipsa manifestum facit. Res profectō mira; sed tamen certa: Næuus qui in fronte conspicitur, comitem, & velut sodalem suum in thorace habet; sed illa in parte, quæ collo proxima, cordis & membrorū spiritualium regio est, vniuersam illam partem diaphragmate cinctam, & ab imo ventre, siue abdomine distinctā comprehendens. Vnde si in media fronte næuus conspicitur maiori ex parte in medio pectore, aliquando in medio dorso inter spatulas reperie-

tur: Quanto verò à recta illa, & per medium frontis demissa linea in dextram, siue sinistram partē næuuus discedet, tanto etiam versus alterutrum brachiorum, siue humerorum deflebet: ita vt aliquando næuuus in extrema fronte iuxta tempora constitutus alium in humeris representet: atque id ratione quadam confiniorum, seu vicinitatis; cū aliæ, vti dicemus, partes sint, quæ humeros sibi næuorum ordine respōdentes habeant: Quemadmodum verò dext̄a & sinistra; sic quoque superiora & inferiora, pariter sibi respondent; ita quidem vt si capillis vicinus næuuus fuerit, vicinus quoque collo reperiatur: si iuxta nasum & supercilium, in inferiori pectoris parte impressum obseruemus. Nasus verò quam partē corporis referat, lippis iam & tonsoribus notum est.

est. Quare quem situm in naso nævus
habet, eundem etiam in vase, siue pe-
ne obtinebit: videlicet dextrum, me-
dium, aut sinistrum in vase, ut in naso
dextrum, medium, sinistrum occupa-
bit; extremum præputium, si in orbi-
culo nasi situs fuerit; radicem virgæ,
& ad pubem superius, & ad coleos
inferius, si confinium frontis & na-
si tanget. In muliere idem obtinet,
eundemque, quem in naso nævus si-
tum habebit, in labris naturæ occupa-
bit: si verò in pinnula nasi consistet,
ferè in superiori parte, ubi nymphæ
enascuntur, inuenietur. Quod si etiā
hi nævi, siue verrucæ naturales in na-
so sint, sed iuxta spatiū, quo oculi
distant, reperientur itidē inter scro-
tum, & virgam secundum dextræ, si-
nistræve partis situm. Si lens aut næ-
vus aliquis in palpebra supra pupil-

lam reperietur, certo certius alius in eadem parte scrotum iuxta testiculum tenebit; item si ille in superiori parte palpebrae, hic super testiculum in aduersa scroti parte erat. Si ille in palpebra inferiori, hic in scroti auersa parte, versus clunes. Nævus vero qui in supercilio supra oculum hæret, sodalem suum in humero eiusdem lateris notat; ita quidem, ut si ille supercilio extremo velut adhærens aurem respi ciat, hic in cliuo humeri iuxta brachium retro occupaturus sit. Si vero supercilio inferior è regione oculi collocatus erit, confinium humeri, brachij, & pectoris habebit. Sæpius etiam euenire solet, frontis næuos, quandoque ad illos qui in thorace, quandoque ad illos, qui in dorso impressi sunt, referri: cum ambæ illæ partes quasi vna sint, ijsdemque co-

stis

stis circumscriptæ atque munitæ.
Quæ quidem relatio cum accurata
animaduersione, dextri, medij, sini-
stri; item superioris, atque inferioris
accipienda est. Si verò in genis nævus
conspicitur, etiam in coxis conspi-
cietur: ita quidem ut quanto ille na-
so, tanto hic vasi, & inguini propior:
quanto verò ille mādibulæ versus au-
rē, tanto hic natibus vicinior existat:
nisi quod interdum tamen, cum si-
gnum istiusmodi latum solummodo
digitum à nāso distat, etiam in ipso
pudendo nævus reperiatur. Quod si
subter oculos in cauitate supra mala-
rum eminentiam, signum erit, næ-
uum sub axilla concipe altius humiliusve,
secundum situm illum, quem
in facie habet: qui si altior erit, sed ip-
si quasi oculo succumbens, erit quo-
que nævus in ipso armi, vt ita dicam,

-nōsto

iugo:

iugo : si vero altior , sed à latere superius iuxta orbes oculorum (ita tamen ne eos tangat) armi posterioris verticem occupabit . Næui qui iuxta autē siti ipsam quasi tangūt , comites suos in brachij spatio , quod ab humeris ad cubitum protensum est , ostendit ; dextro & sinistro obseruato . Hinc si in ipsa aure apparebit , securior faciliorque diuinatio erit : si verò tres digitos ab aure absit , lateribus clunium næuuus adhærebit . si verò per duos tātum digitos disiunctus , in signata bra chij parte , sed versus dorsum reperie tur . Næuuus qui superiori labro immi net , nāsumq; ferè tangit , eo in spatio , quod inter pudenda podicemque interiectum est , socium esse indicat : sed qui ab interfinio narium pendebit , oppositum suum in perinæo , siue in futura medium scrotum interfecante
osten-

ostendet. Contingit verò non rarò ,
vt cù à nāso tres digitos remotus sit ,
non amplius partem illam dictam ,
sed pubem notet (et si hæc , vt pluri-
mum à nāuis in inferiori labro atq;
mento constitutis ostendi solet) atq;
interdum etiam non ad pubem , sed
ad genu contemplantem remittat .
quod tanto frequentius contingit ,
quāto signum inferius erit. Nāui , qui
à natura in malis picti sunt infra la-
brum inferius , ipsumq; non transcen-
dunt , oppositos suos in abdomine
repræsentant : in ipso quidem abdo-
minis medio , si in ipsarum genarum
meditullio expressi fuerint . Quod si
tamen signum in extremo mento co-
spicietur , nāuus in pube iuxta puden-
da signabitur . Nāui qui aures tenent ,
lacertos respiciunt . Ac si ansa auricu-
læ nāuum geret , nāuus quoque car-
po ,

po, siue manui vicinus erit: si verò ex opposito summum capreolum occupabit, etiam in supremo lacerto cubito proximus existet. Quod si in ipso meatu, seu concha, & interiore auris parte næuuus hærebit, in vola quoque manus delitescat. Si in exteriori parte, eundem quoque situm in manu deprehendes. Sed nō facies dumtaxat, quæ nuda, & exposita intuitui est; neq; néui, qui in facie reperiuntur, oppositos suos in reliquis corporis partibus denotant; sed manus etiam, & brachia, quæ & ipsa oculis ex parte subiecta sunt hanc vim possident. Quare si in brachio superiori næuuus deprehendatur, supra cubitu pro explorato habe in crure iuxta genu néuuū quoq; reperiri. Ac si ī auersa brachij parte erit; in sura quoque esse: quod si verò in lacerto hærebit,

oppositum suum in medio crure re-
spicet. Si etiam prope manum, siue
carpum; in collo, ut ita dicam, pedis
supra talos existet. Si deniq; in digitis
manus, pariter quoq; digiti pedū insi-
gniti erunt. Qua quidem ratione etiā
aures ex parte tibias demonstrabunt.
Sed animaduertere oportet, regulas
hasce non perpetuo veras, aut certas
esse; cum res naturales, sicuti & fun-
damenta huius scientię interdum fal-
lant; quemadmodum Arist. 2. de par.
animalium docet. Si enim res ipsæ na-
turales à veritate quādoq; desciscut;
multo magis næui, & signa hæc diui-
nante mē destituent; neq; tantum illa,
quæ coęua non sunt, & post ortū ca-
ſu aliquo adnascuntur, verum, & illa
quoque interdum, quæ in ipso vtero
materno finguntur; & à desiderio si-
ne malacia fœminarum originem ha-
bent.

bent. Atque hactenus quæ dixi, alij etiam ante me complexi ingenio, & expressissimè scriptis videntur; sed ita succinctè, ita etiā variè, & ineptè, ut, quasi friuola imò penitus vanā neorum diuinatio esset, suæ sibi scientiæ fidem pretiumq; dempserint. Mirari autem satis non possum, neminem è veteribus illis, qui summa cum industria omnia scrutati sunt, neminē etiā ex neotericis nostris, quibus indagādi curiositas supereft, fuisse, qui causas aut rationes huius scientiæ, si non necessarias, saltē verisimiles explicare tētauerit; cur inquā faciei nēui, pares suos per corpus sparsos certo quodā ordine ac situ respiciant atq; demonstrent. Itaq; hoc ipsum naturæ secretū explicare aggredior, difficile, extre mis difficultatum tenebris inuolutū, ab antiquis non tantū neglectum,

sed

sed ne quidem nominatum. Quod
dum facio, nihil mihi superbius tri-
buo, nec antiquorum gloriae quicquā
detraho, non enim me opte ingenio
inuenisse gloriōr, quod non potuerūt
antiqui; sed tentasse, & quæsiuisse, qđ
de industria illi neglexerunt, aut ten-
tare recusarunt. Neque tamē viribus
meis ita confido, vt quidquid volun-
tate cōcipiam, studio exequi possim
sed vt ei uam, & sublēuēm mirādām
hanc naturæ molem & machinā, cui
sustentandę, atque firmandę optima
deinde, ac solida illa ingenia fulcrum
facilius subiçiant, & orbis æuūm quę
nostrū à nobis quoq; accipiat, quod
admiretur. Rerum omnium cōditor
Deus, postquam Mundi machinam
creasset, quam ob magnitudinem, &
variétatem rerum lustrare oculorum
obtutu, perscrutari mentis acie diffi-

cilē erat, quasi peritus Geographus, in exigua tabula, idest, ipso hominē magna, ac admirabilem illam molem describere, imo compēdio quodam perfectissimē comprehendere voluit, ut quasi typus mundi, atq; adeo ~~universus~~, parvus mundus diceretur. Id autem ostendere, quā scilicet ratione cuncta, quae in uniuerso continentur, in hominē, aut representata, aut expressa sint, facillimū mihi foret, nisi excedere dictionis, & propositi mei limitibus viderer. Quia tamē duas hominis partes habet, animam, & corpus, multique fuerūt, qui in corpore seorsum mundi similitudinem, ipsumq; mundum distinxerunt, non videbor longius ab instituto meo recederē, si animam ego considerem, & in ea id ipsum faciam, quod in corpore talij fecerunt. Principio igitur ut à cœlesti-
bus

bis illis corporibus, & sphæris æthereis, quemadmodum è certa obleruatione cōstat, humanum corpus cùm concipitur, vim, virtutemq; quandā propriam, induit, quam Astrologi Ioualem, vel Saturniam dicunt; cùm aut benigno ambientis Iouis aspectu temperatus calore moderato sanguis mitiores mores producit; aut aspero & sicco Saturni radio arefacti humores, & quasi terrestres redditi, agrestes mores efficiunt: ita quoq; in animæ potentijs ipsa illa diuina corpora quodammodo reluent. Luna quidem vegetandi, *pavðagia*, ingenioq; Mercurius, potentia concupiscibili Venus, Vitali Sol, Irascibili Mars, Naturali Iupiter, & inter huius species retētrici Saturnus. Voluntatem vero haut dubiè octaua, & ultima sphæra representat. ut enim hæc reliquas omnes mo-

tu suo orbes: ita illa reliquias affectio-
 nes animi, mouet, ducit, voluit. Itaq;
 si dispositionem stellarum istarū, itē
 vigorem roburq; in ipso natali mo-
 mento exploratum habuerimus, di-
 uinare non difficulter licebit, in quas
 potissimū animi affectiones quis pro-
 cliuis sit. Ita tamen vt rationi, quæ tan-
 quam princeps regere & eminere im-
 perio suo debet, locum suum cōceda-
 mus. Cūm in hunc finem liberum à
 Deo arbitrium acceperimus, vt ratio-
 ne veluti iure quodam vteremur. Si
 militudinem prætereà cum elemētis
 anima habet: Cum terra quidem per
 sensus ipsos, in quam velut per paten-
 tes aditus rerum cognitio, & veritas
 se ingerit; cum aqua, ob imaginatio-
 nem; cum aere, ob rationem; cum cę-
 lo denique, ob intellectum. Quare vt
 in corpore elementum alio aliud per-
 fectius

fectius atque potentius est: ita quoq;
in anima aliud dominatur & eminet,
aliud obsequitur & subest: Quādo ve-
rò simul cūcta ita composita & qua-
si expensa sunt, ut proportione sua na-
turali simul consistant; in anima quo
que omnia composita, & moderata
sunt, & quasi numeris quibusdam af-
fectus omnes in harmonicam cōcor-
diam conspirant: Hac igitur ratione
homo *umbrinus*, siue parvus mūdus;
aut certè typus aliquis magni mūdi;
tā corpore, quām anima dici potest.
Quia verò in fabrica hac humana ani-
mi affectiones, interioresq; corporis
partes miro ordine, ac magna sapien-
tia dispositæ, coniunctæ, diuisæ, sed
oculorum indagationi subtractæ, na-
turam cuiusque & inclinationem ve-
labant atque occultabant; signa exter-
na ista imprimere Deus voluit, qui-

bus interna illa facies hominis , siue
cōditio , & ad quas potissimū affectio
nes , tam corporis quām animi incli
naret , posset explorari . Vnde mihi
quidem videntur insigni iniuria Deū
naturamq; afficere , qui vtriusq; de
fectum accusantes , apertum esse pe
ctus desiderat , ad internum hominis
statum dignoscendum : Imperfectē
enim id ipsum eo modo , nec nisi cum
periculo quodam communi fieri po
terat . Deus autem mercatorem reprē
sentare voluit , is enim cūm vniuersas
taberna conditā merces exponere ,
aut producere in pergulam non pos
sit , ex omnibus particulam in signum
promit : ita Deus cūm interna omnia
subijcere oculis noluerit , signa tātūm
produxit , quibus affectiones internæ
cognoscerentur . Quia verò signa ipsa
numero excedebant , varieq; per vni
uersum

uersum corpus diffusa, alibi occulta,
alibi velata, & velut abscondita erant;
facta quasi signorum cōgetie, eam in
faciem dispersit, ac velut præ foribus
suspendit, ad latentia & recondita si-
gna omnia denotanda, animique ip-
sius affectiones, & statum explican-
dum. Sed quid his longius immoror?
Figuram capitis videamus. Ecce ro-
tūda est, id est perfectissima, & ipsius
mundi quidam typus. Facies quid ni-
si exemplar, & pictura Dei, ut rectissi-
me legislator Moles explicauit? Frōs
verò in qua actiones omnes intelle-
ctus velut per imaginē expresse sunt,
& in qua suprema illa animi potentia
maximè actione elucescit, quid nisi
supremos illos & angelicos intelle-
ctus cœlestemque ordinem ab oculis
ponit? Iam ipsæ illæ frontis lineæ sex
rectæ, vna Triangularis, à Metopo-

scopis ad septem Planetas referuntur :
Prima quidem ad Saturnum , secun-
da ad Iouem , tertia ad Martem , quar-
ta ad Solem , quincta ad Venerem , sex-
ta ad Lunam , triangulus denique ad
Mercurium ; non sine vestigio (nisi
superstitiosa sit isthęc curiositas) cha-
racterum siue notarum , quibus pla-
netae figurantur . Sed si proprius Na-
turam ipsam consulentes , opinio-
num nebulas relinquamus , an non se-
ptem faciei aperturæ , per quas rerum
species admittunt ad se sensus , & pro-
prias obeunt operationes , septem Pla-
netis aptè comparentur ? Solem ecce
Lunamq ; Cæli oculos vocamus : sic
licebit oculos , Solem Lunamq ; ho-
minis appellare . Iam os , in quo pri-
ma venustas faciei cōsistit , Venerem
repräsentat , Iouem & Mercurium na-
res , cum nasus ipse pro Iouis sceptro ,

& Mer-

& Mercurij caduceo sit. Saturnum vero & Martem aures ob similitudinem siccitatis. Nævi denique per faciem sparsi, sidera reliqua siue Stellas octauæ sphæræ. Sed ut ad Plagas elementares descendamus: Oculi & visus, ut Platonis & Galeni dogma locum habent, ignem referunt; Odoratum vero idem Galenus libro 7. de Decretis Hippocratis, & Platonis existimauit acreum esse: organum etiam odoratus vaporosum esse, & in qualitate aere consistere. Gustus, docente Galeno lib. I. de Causis Symptomatum, cum instrumentum humidissimum omnium habeat, atque in qualitate humida consistat, Aquæ potest comparari. Aures denique totæ cartilagineosæ, ac penè exangues terræ nataram & similitudinem ostendunt. Ut autem composita ipsa consideremus;

eorum insignis in capite, & præcipue
in facie Typus relucet. Nam quod at-
tinet ad mixta imperfecta, oculorum
illæ caligines, & veluti sumi, quibus
suffusiones producuntur, & praefla-
giri solent, aeris nebulas caliginesq;
repræsentant: perfectæ suffusiones
(vulgus medicorum cataractas nomi-
nat) & *νιπτοχόμετα*; nubes densatas, &
quasi grauidas commōnistrant. Tonii-
trua & terræmotus, ad sternutamen-
ta & tussim; Pluuiæ, niues, grandines,
ad lacrymas; Tempestates, ad reliqua
spissiora capitis excrementa; Irides,
ad genarum colores, qui varijs ab ani-
ma mōdis proficiscuntur, referri pos-
sunt. Iam verò mixta perfecta ex ab-
solutissima totius vultus formatione,
nonne in cuiusq;, vel somnia ntis ocu-
los incurront. Res sanè animatæ in
vultu ipsius naturæ agitationibus in-

no-

notescunt. Vegetatiuæ quidem dunt faciem alterari facillimè; augeri, imminui cottidie deprehendimus, neque per aliud instrumentum cibis, & potionibus, recipiendis, & præparandis, quam per os, & dentes aditus aperitur. Vbi porrò intimi, & extimi sensus, nisi in capite, atque vultu sedem esse vidēmus? Animam verò in dagastricem rerum, illamq; eximiā intellectus facultatem, quæ ^{vix} à Græcis appellatur, nonne docui in frontis ductibus, atque anteriori cerebri parte actionibus maximè elucescere, & lineamentis tanquam in fabula videri expressam? Quare nihil potest esse exploratius, quam humani capitum, & maximè vultus ornamentum à summo illo rerum auctore Deo, tanquam operis huius singulare exemplar, aut potius archetypi illius, ac

perfectissimi operis totius mundi quod
 dam modò formatum fuisse signum,
 & adumbratā imaginē. Non enim totius orbis vastitas in hunc exiguum
 quasi gyrum compelli poterat: neque
 rerum omnium distinctionem homi
 nis limitata structura, ac breuitas ca-
 piebat. Hac igitur de causa, ita par-
 tes faciei Deus disposuit, & cum uni-
 uerso corpore comparauit; ut à natus
 faciei, ad alios corporis, velut à com-
 pedio sine indice ad totius voluminis
 certissima diuinatione duceremur.
 Ego verò ex hac admirabili totius ho-
 ris dispositione, & cum reliquis cor-
 poris partibus conformitate, quam
 Græci *ἀνατομας* dicunt, exfoliam, ut
 opinor, naturalium causarum cæcos
 & latentes nodos, ac positam in me-
 dio difficultatem clarissimè expediā:
 quo scilicet pacto fieri possit, ut non
 solū

solum innatas animi affectiones, verum etiam adhaerentes corpori notas, & integumento vestium cooperatas denudemus. Quod quidem negotium perarduum est, à nemine, quod sciam, hucusque tentatum; quamvis ratione certis è partibus, & faciei maculis, secretas abditasq; corporis labeculas colligere possimus. Sed πραξογιαν, siue conſpirationē, vt ita eam, partium, bifariam solemus attendere; aut quantitatem, siue menſuram, aut ſubſtantiae qualitatem, ſeu conditionem: ex vtraque naturales cauſas cruere, atq; in commune proferre constitui; alteramque usurpato Proportionis nomine, alteram Similitudinis appellatione ob maiorem claritatem affecturus: vt ſi exempli gratia dicam, nates eadem Analogia cum reliqua corporis magnitudine

men-

mensurari, quæ genæ cum cætera vul-
tus parte conferuntur; isthæc quan-
titatis, siue mensuræ proportio erit:
Sed si coxas, aut nates cum genis ali-
quo modo ostēdam comparari, cùm
sint torosæ corporis partes, cùm bi-
næ, cùm eundem quasi situm obti-
neant; hoc ego similitudinis nomi-
ne pronunciabo. Quibus si cauſas ex
Astronomicis fontibus deriuatas ad-
iungam, equidem existimo tertiam
me analogiæ conditionem daturum,
lucemq; aliquam difficulti huic doctri-
næ allaturum. Monitum tamen cu-
riosum Lectorem volo, analogias ter-
nas hasce simul in partibus omnibus
faciei, & in partibus omnibus cor-
poris pariter reperiri raro posse; sed
cùm reperientur tradita in principio
norma nūquam indicium tuum fru-
strabitur, nunquam nœvorum diui-

nationem infringi, In quibusdam
verò binæ tantum, aut proportio cū
similitudine, aut proportio cūm ana-
logia Astronomica coniuncta repe-
rietur; & tunc etiam vt plurimū ra-
tio nāuorum constabit. Denique so-
la cū similitudinc proportio ihuenic-
tur; & tunc non rarò lubrica suspi-
cione diuinatio laborabit. Sed nunc
tres illas partes explicare eo ordine;
quo proposui, aggredior. Ac primo
quidem, vt distincte à me sub oculos
ponatur Proportio, qua faciei partes
ad reliquum corpus referuntur; ne-
cessē est paucis, quæ faciei partes pro-
portionem inter se habeant, & qua-
lem, perstringere: deinde quomodo
proportiones corporis inter se conue-
niant declarare, vt tandem aliquan-
do scopum meæ dissertationis inten-
to dīgito significem, & qua maximè

ratione vultus partes cum partibus corporis consentiant, innoteſcat. Itaque ut à facie exordiar, non est ignorandum ternas hāc habere dimenſiones, quibus ad rectissimam mensurā reuocari potest; nimirū longitudinem, latitudinem, profunditatem. Etsi verò communiter longitudo speſtetur; censeo tamen, nec latitudinem omnino, nec crassitatem prætermittendam esse. Ut autem hanc longitudinem recta ac æqua norma diſtinguamus, res videtur exigere, vt minimum illud mensuræ punctum indagemus, quo cæteræ deinceps particulæ faciei apertè dignoscantur, inter ſe mensurentur, & denique subductis calculis summa totius vultus ratioque ducatur. Lacunula igitur, qua labrum ſuperius duas in partes æquales, eminentem, & cœuam diuiditur,

ditur, aut etiam alterutrum narium spatium, quod in media Lactuæ pari dimensione respondet, totius faciei minima erit, sed peræqua dimensio: aucta vero, siue multiplicata plenam regulam, ac normam certissima ratio ne extendet. Duplicata enim spa- tium quod à naso ad labrum est, ab solutè completere solet. Quadrupli- cata, aliam pluriū partium men- suram constituēt, longitudinem, sci- licet oris, & oculorum, spatiū, quod inter utrumque iacet, atque etiam, quod ab inferno labio ad menti ter- minum extenditur. Iam vero nasi, & aurium longitudo, illiusque ma- ximus ambitus, item spatium à naso sursum ad cōfinium capillorum, seu frontis altitudo, & deorsum ad men- tum pari mensura cōstant; atque se- quialtera proportione ad prædictas

qua-

quatuor partículas se habent, id est sex mensuras minimas exæquantur. Oris auriumque ambitus, pariter spatiū ab unius oculi extremo ad alterius productū duplicita proportionē proximè nominatas hæcce partes respicit, atq; duodecim minimas mensuras expletat. Vniuersæ autem faciei longitudo, frontisque circuitus, oris ambitum sexquialtera proportionē superat, atque octodecim minimas mensuras complectitur. Spatiū capillorum ab extrema fronte ad primam postremi colli vertebram, item spatiū à mento ad verticem capitis pruductum longitudinem faciei sexquialtera proportionē refert, ac vingtiquatuor mensuras minimas comprehendit. Quid pluribus me extendo? Admirabilem hanc potius partium symmetriam, & numerorum

proportionem, & rerum concentum
atque harmoniam mirati, subit. Vi-
dere, si diligentius mentis oculos ad-
uerteris, in faciei fabrica liceat tot nu-
merorum species à Pythagoricis ani-
maduersas: numeros pares, impares,
pariter pares, pariter impares, impa-
riter pares. Ex his verò primos, & in-
compositos, secundos compositos,
perfectos, imperfectos, æquales, in-
æquales; Omnesque proportiones,
tam Arithmeticas, quam Geometri-
cas, atque adeò Harmonicas. Depre-
hendas proportionem duplam, ses-
quialteram, sesquitertiam. Cogno-
scas harmoniam diatesseron, diapen-
te, diapason. Quæ omnia nimis lon-
gum esset, velut intento digito de-
monstrare; cùm ex ijs etiam, quæ di-
xi, clara & manifesta videantur. Quid
verò si amplius addam, in facie figu-

ras omnes Geometricas, tam circulares, quam rectas expressas videri. Mira profecto, atque plane stupore digna constitutio haec facie est: Quin digna potius, quae vniuersi hominis, immo vniuersi mundi perfectum absolutumque quendam typum representet. Repraesentare autem non poterat, nisi proportiones hæc omnes complecteretur. Etenim si totum corpus harmonia ista compositum est, omnesq; eius partes easdem proportiones habet, necessarium erat unam aliquam partem constituere, quæ velut typus, ac regula reliquas omnes exacte, & veluti ad lineam mensuraret. Vnde similis omnino operi vniuerso typus esse debebat, & ab eo reliqui corporis signa, quasi cognatione quadam paria significari. Quia vero summus ille rerum plasta, vel ob materia,

telia, seu exuberantiam, siue etiam defectum, vel ob agentis operaciones, siue vehementes nimium, siue remissas, saepius forma laborare faciem animaduertebat, difficilemque hac de causa divinationem, ac omnino falsam esse, regulam, ac certam quandam normam expositam oculis dare in corpore voluit, qua & facies, & faciei omnes partes certo certius, an verae ac naturales essent, explorari possent. Hæc autem manus est, cui magna ex parte mortales immortalitatem debent. Manu enim, & hostes debellantur, & vita defenduntur, Sphæræ, & noui velut cœli conduntur, vrbes, domus, naues construuntur: manu vestes texuntur, omnia imitatione naturæ pinguntur; figuræ cælantur, statuæ sculpiuntur, picturæ adumbrantur, & denique le-

ges, historiæ, libri scribuntur, Manus igitur veluti totius corporis in unus, faciei mensura est. Tanta enim faciei naturalis longitudine censeri debet, quanta à carpo ad extremitatem digiti impudici continetur, quæ quidem ratio in paucissimis hominum fallit: imò vero cum faciei omnes partes proportione certa mensuren- tur, ipsæ quoque partes manus inter se, & cum reliquis membris dimensionem non fallacem habent. Ac pri- mò quidem indicis longitudine ab ex- tremo vnguis ad tertium articulum ab exteriori parte extensa iustum to- tius manus dimidiatam magnitudi- nem docet: semperque æqualis reli- quo spatio, quod ad carpum usque procedit, inuenitur. Intrinsecus ve- rò id ipsum digitus impudicus demo- strat: quem si ab extremitate ad radi-

eem usque trans monticulum men-
 suraueris; tantum inuenéris spatij;
 quantum inde ad carpum reliquā ma-
 nus tenet. Vngues ipsi singulorum
 digitorum longitudinē tantam hā-
 bent, quantum est spatiū à radice
 vnguis ad primum articulū definitū.
 Digiti crassioris ambitus eius-
 dem longitudinē certa mensura re-
 spondet. Aliæ multæ adferri in me-
 dium proportiones possent, quibus
 manus partes inter se mensurantur;
 nisi nitium prolixus videri possim,
 & illæ ipsæ facili videantur negotio
 deprehendi posse ex symmetria, siue
 similitudine, qua partes inter se ma-
 nus, & faciei conueniunt. Quare ut
 huc sermonis nostri operam trans-
 ferre possim, vniuersam faciem è ma-
 nu velut è tabula accurate cōstituam.
 Tanta est enim longitudo faciei, ac

frontis ambitus, quanta est longitudo manus. Spatium quod à radice capillorum per frontem ad orbiculum nasi extenditur, medio digito; reliquum ad menti extremum, reliqua manu exactissimè mensuramus. Frontis præterea altitudinem refert pars palmæ vicina, quæ prima & maxima indicis est. Secunda verò simulque iuncta tertia in extremitate vnguis sinnicis ab illo spatio, quod à superficie ad nasi orbiculum decurrit nunquam discrepasse obseruatum est. Prima tamen, & maior digiti medij pars æqualis omnino illi spatio inuenitur, quod à naso ad mentum extremum porrectum est: secunda verò mentum ipsum mensurat. at anularis digiti pars maior tractum illum iusta mensura exæquat, qui à mento ad inferius labrum se usque insinuat.

Tertia verò medij digiti pars vngui
coniuncta totam superioris labri la-
cunam, siue philtrum à nariū inter-
stitio ad superius labrum deductum
æquè mensurat. Similiter in me-
dio digito, siue impudico tanta pri-
mii internodij versus manum est lon-
gitudo, quanta oris si labri arcum fi-
lo commensuraueris; si enim recta in
vacuo oris longitudinē mensuremus
digiti pars illa excederet. Quin ea-
dem pars, frontis altitudinem etiam
ostendet. Ipsa palma manus in lon-
gitudinem latitudinemque mensu-
rare malam solet. Atque in hunc mo-
dum manu tanquam perfecta men-
sura vti possumus, qua faciei disposi-
tionem exploremus; vt facie tandem
reliquas totius corporis partes sine er-
rore secundum proportiones à natu-
ra constitutas distinguamus. Id vero,

ut commode fieri possit, planè neces-
sum est, vniuersum corpus ad sym-
metriam reuocare. Neque molestus
hac opera ulli meritò videri debeo;
cùm in hanc quisque curam incum-
bere toto studio deberet, vt se ipsum
ante reliquarum rerum contempla-
tionem cognosceret, quare iusta re-
prehensione digni sunt illi, qui nul-
lam cùm teneant suorum corporum
rationem atque notitiam, in terre-
strium tractuum inuestigatione, &
maris immensitate pernoscenda, at-
que adeò in vastissimis totius celi spa-
tijs circumscribendis tota cogitatio-
ne desudant. Quemadmodum & il-
li, aut ambitiosè nimis, aut nūmis cu-
riosè facere videntur, qui rei dome-
sticæ curis animo & cogitatione ex-
clusis ad ciuiles administrationes, &
rerum publicarum gubernacula to-

tis viribus feruntur. Quare ut tandem aliquando manus ad institutum opus admoueam; Dico naturam summa prouidentia summoq; studio corporis molē erexisse, facie in fastigio constituta, in qua velut in speculo totus homo reluceret, & facilius in contuentium oculos incurreret, imaginesque affectionum animi repræsentaret. Corporis igitur veluti principium facies est, à qua reliquæ totius corporis proportiones, sicuti à modo numeri, & à puncto lineæ dependent. Quare vulgatam statuo corporum longitudinem, si quidem huiusc regionis homines spectemus, nouena totius vultus longitudine constare potissimum. Non enim inficias ibo inueniri posse, qui maiori porrectum, aut minori contractum mensura corpus habeant: Cum nonnulli

corporis proceritate spatiū faciei decies expleant; aliorū longitudo octies dum taxat, nonnunquam, sed per rārō, septies faciem contineant. Grandiores verò faciem decies repetitam corpore reddunt: minores vix septimum spatiū, ratiū octauum excedunt. Verum tamen est, ista nature incrementa, & decrementa in cuiusque àetatis gradu, quam rarissimè deprehendi. Sed vix yñquam breuitas corporis, tam angusta periodo concluditur, vt septem vultus mensura nō describatur, cùm peccare tam indigesto partu natura non possit; corpus autem humanum rebus omnibus absolutum magna industria, ac harmonia architectetur. Grandiores verò in maiori numero reperiuntur, qui integra mensura communem illam proceritatem superant. Sed il-

li quidē felicioribus astris nati, proportione perfectissimi sunt; ut hac quidem de causa Atistoteles ille optimus naturae interpres, pulchritudinem maiestatemque corporis magnitudine commensurare soleat. Itaque opere precium me factum arbitror si vtriusque huius magnitudinis, illius inquam, quæ noueno vultus spatio absoluitur, plurimumque est; & illius, quæ hanc magnitudinem excusat, quæq; per paucorum hominum est, proprias mensuras indagare incipiā, ac ostendere, quomodo vtræque istæ magnitudines à capite ad calcem in nouem, ac decem æquales iustasque partes distinctæ sint. Quod ad priorem attinet, sciendum est, in facie rectè naturalique proportione formata (quemadmodum explicui) tria æqualia int̄ se spatia reperi.

Primum frontis est à confinio capillorum ad nasi principium ad superficia deductum; alterum nasi cùm interstitio superciliorum; tertium à naso ad menti extremum porrectum. Primum sapientiae domicilium non nulli veterum philosophorum dixerunt; Secundum ad pulchritudinem retulerunt; Tertium bonitatis sedem interpretati sunt. Tria igitur hæc spatia, siue mensuræ faciei sèpiùs sumptæ, certa, ac explorata quadam regulâ docent perfectam absolutamq; corporis longitudinem nouies facié totam explere. Prima autem mensura facies ipsa est. Secunda spatium à Gula ad pectoris extremum, vnde ensiformis dicta cartilago exoritur: Tertia quæ hinc ab umbilicu. Quarta ab umbilico trans inguinà ad principium coxarum. Quinta & sexta

inde

inde ad genua: Septima & octaua inde ad talos porrigitur. Nona ex tribus diversis particulis constituitur; Quæ quidem pares inter se, & cum tribus illis, quas in facie descripsi, exactissime conueniunt: Quartum primâ arcu ille est, qui à confinio capillorū, & frontis ad verticem, usque capitū extenditur; Secunda subiectum faciei spatiū est gula, quæ ab extremitate mento ad pectoris usque furculam pertingit: Tertia, pars illa, quæ à talo ad plantam usque pedis descendit. Videre igitur quam sæpiissimè communiterque licet in plerisque mortalium, ac præsertim ijs, qui compressa, & quasi compacta membra habent, figuram esse quodāmodo quadratam. Quam certè perfectam, & æquilateram in prima hominis formatione affectasse in natura, atq;

ad eo

adeò expressissime videtur; centrum in
inguine constituens, hominemque
æquè largum, ac longum effingēs. No
uem enim illæ partes, quibus vniuer
si corporis longitudo distinguitur,
pariter in brachijs extēsis cum thora
ce reperiuntur. Id verò qua ratione
fiat, quantum possum, breuiter per
stringo. Si enim siue ab humeris fo
rinsecus per cubitum ad primam di
gitorum iuncturā, siue ab axillis in
trinsecus ad palmæ, & digitorū con
finium descendamus, iusto calculo
ter faciet longitudinem explebimus:
Spatium verò digitorū utriusque ma
nus semel faciem continebit. Ita qui
dēm, ut brachia ambo, manusque si
mul longitudine sua septies facie red
dant. Iam verò latitudo corporis, que
ab uno humero ad alterum sumitur,
tanta est, quanta facies ipsa bis sum
pta:

pta: ut hac quidem ratione brachia extensa iustum illud spatiū consilient, quod à vertice capitis ad planitatem usque pedis natura descripsit. Reliquum nunc est, ut qua ratione altera illa longitudine, magis procera, magisq; perfecta, quæ per paucorum hominum est, dece particularē mensuræ reperiatur, tradam. Quare nūc nouæ mensuræ hominem subiiciamus. Prima illa decem partium à vertice capitis ad extremum narium describitur. Secunda à naribus ad principium pectoris. Tertia hinc ad extremum Thoīacem recta linea, vbi furculam inferiam dicimus. Quarta ad umbilicum pertingit. Quinta deinde ad inguen, vbi centrum medium corporis locari solet. Reliquæ quinque partes per coxas, & crura deinceps iustis spatijs comprehensa

& descriptæ sunt. Verum enim vero nō solūm facies, quemadmodum iam fūsē cōmonstrauī, sed illud quoque spatiūm, quod à cubito ad extre-
mum medij dīgitū percurrit, totius corporis iulta & exācta mēnsura esse
potest. Sed ne extra fines propositi
mei dicendi occasiones persequar, de
licias hasce curiosas seponēs, id quod
agere potissimum instituerā, quod
que fundamēntū doctrinæ huius
censeri potest, facili & claro verbo-
rum contextu absoluam: quam scili-
cer proportionem cum totius corpo-
ris partibus partes faciei; quamq; si-
militudinem proportionum inter se
quoque habeant; vt hinc de Næuis,
quasi explorato robustoque argumē-
to iudicemus. Itaq; quemadmodum
tres æquales in facie partes distinx-
imus; ita quoque docuimus reliquum

cor-

corpus tres e^quales inter se diuisiones
admittere, illam nimirum medij cor-
poris, illam fæmoris, & tertiam à fine
coxarum ad pedes usque. Atqui hanc
ipsam trium partium diuisionem in
medio corpore notare iterum licet,
Spatiumq^{ue} quod à pube ad vmbili-
cum , deinde quod hinc ad mamil-
las ; posteà quod inde ad colli prin-
cipium extenditur , æquali propor-
tione contineri . Spatium præterea ,
quod inter mamillas velut terminos
quosdam intercluditur , frōtis circū-
ferentia mensuratur : Frons verò in
longitudinem triplicata dorsum exa-
cta dimensione æquat . Quemadmo-
dum etiam faciei spatiū nouies , si-
ue etiam decies sumptum totius cor-
poris proceritatem: ita quoque frōtis
altitudo nouies deciesve accepta
longitudinem dorsi absolvit . Super-

E cilij

ciliij semicirculus duplicatus spatula-
rum rotunditatem comprehendit :
pari omnino ratione , qua circulus
per concavitatem oculum ambiens,
peripheriam axillarū describit. Qua-
re si proportiones iste partium faciei,
nec nō similitudines proportionum,
quibus inter se partes faciei, corpo-
risq; vniuersi cōueniunt admittēdē ;
inficias nemo ibit, quin aliqua ex par-
te ratio, qua næui faciei cum reliquis
per corpus dispersis consentiant, con-
stet. Sicuti enim facies totius corpo-
ris, ita partes faciei , partium corpo-
ris quasi figuræ quædam, & typi sunt.
Cùm igitur , vt in principio propo-
suimus, frōs, pectus; supercilia, hume-
ros; corum cauitas, axillas; aures, bra-
chia; mentum, pubem; malæ, coxen-
dices ; os, in viris quidem, anum ; in
fæminis etiam partes verecundas re-

præsentet, mirum nullo modo vide-
ri debet, cur Næui, quibus natura ve-
lut signis quibusdam partes illas cor-
poris obsignauit, affinitatem & re-
lationem inter se habeant. Quoniam
igitur frons; pectus aliæ, alias partes
respiciant ac referant; næuuus quoque
in fronte, næuum in pectore; næuuus
in alijs partibus faciei, næuum itidē
in alijs corporis partibus indicabit.
Sed ut exactius amoenissimam hanc
doctrinam explicem, operæ pretium
me facturum arbitror, si similitudi-
nes ipsas, quibus faciei partes cū par-
tibus corporis comparantur, quam di-
ligentissimè excutiam, qua tandem
via ad lucem aliquam facilioris ratio-
nis per difficillimam hanc doctrinā
possit perueniri. Nolim tamen quis-
quam similitudinū harum nimis di-
ligens, aut accuratus inquisitor sit,

neue existimet, tam exactam regulā
in partibus partium esse, quam in il-
lis faciei primis, quæ cum vniuerso
conferuntur, ostendi reperiri. Cùm
enim facies reliquorum membrorū,
velut mercium quarundam condicita
rum signum, typus, & velut index sit;
necessarium non fuit, eadem penitus
distinctione faciem corpusq; signa-
ri, ut nec eodem, quo in taberna mer-
cēs ordine dispositæ sunt, foris signa
collocantur; præsertim cùm tam exi-
guus locus, tam ingēs, & figuris adeò
diuersis constitutum opus planè ac
exactè non recipiat. Quare ad hanc
considerationem, si non perfectissi-
ma, certè adūbrata aliqua similitudo
suffecerit, quæ indicare, etiā id, quod
non indicat, & contemplantis deside-
rium abūde explere poterit. Sed nūc,
ut missa verba faciam, rem ipsam, &
exem-

exemplum exhibeo. Frontem quis-
quis inspicit, eam situ eminētem in-
uenerit, parte media planam, lateri-
bus circularem, supernè linea, quæ in-
triangulari figura terminatur diui-
sam, transuersū vario linearum con-
cursu velut aratam: habere dextrum,
habere sinistrum, habere promonto-
ria. Ecce vniuersam hanc posituram
in illa parte corporis, quæ gule subest,
non obscurè expressam habes, quam
quidem partem, et si secundum ra-
tionem situs ventrem medium Medi-
ci appellant, quia inter caput ventrē-
que inferiorem positam: Hippocra-
tes tamen verus Philosophiæ pater 7.
Aphorismorum yētrem superiorē no-
minauit. A Græcis θυρας dicitur, fortas-
sis ἀπὸ τῆς θορῶ, i. salto, quia in hac parte se-
des cordis, eiusque continuus motus
est: vel ut stoici arbitrantur, παρὰ τὸ θύρων

ἀγαν̄, quia mentem animi nostri partem diuinam continent. Thorax igitur egregiè vndique finitus, & limitatus est, a iugulo ad xiphoidem cartilagineum, & diaphragma extensus; ita ut à clavicula pars superior initiū capiat, in diaphragmate finem: pars autem anterior osse sterno, posterior vertebris dorsi, dextra & sinistra duo decim costis tanquam limitibus circumscripta est. Forma autē pulcherima iter partes corporis excellit. Deinde capacissima est, fortissima, aliquantum protuberans, & quasi per arcum extensa: quæ omnia pariter in fronte reperiuntur; cum & hæc capax, fortis, protuberans, extensa cernatur: ut prope dubites in fronte thoracem, an in thorace frontem dicas figuratā. Nam cum triangulo frontis os sternum xiphoidemque; cum lineis fron-

tis costas pectoris; cum duobus promontoris frontis, duo mamillarum tubera rectè comparaueris. Non mirum igitur si nævus quispiam in fronte constitutus, aliū, siue in pectore, siue in dorso affinem, & veluti relationum positionis quodā ordine representet. Iam verò si ad supercilia te cōuertis horum eminentiam, quò rectius, quām ad eminentissimās totius corporis partes, humeros inquam, referas; qui simili planè modo pectori dorsoque vicini & annexi sunt, sicuti fronti supercilia iunguntur. Vnde si in hoc tractu faciei, nævum aliquem notaueris, sine vlla dubitatione nævū pariter in humeris, dextrum aut lævum, pro varia illius in facie positio-
ne facillimè colliges. Imò verò (ut hinc admiranda naturæ diligētia ma- nifesta euadat) si in supercilio nævus

aurem respiciet, similiter in humeris
(quemadmodum antea ostendi) par-
tem versus dorsum declinantem pos-
siderbit. Ad malas transeo, earumq;
naturam, & situm considero; ut sub
comparationem facilius mittam. At
certe, quod ad naturam attinet, car-
neæ, succiique plenæ sunt, quantum
vlla alia faciei pars; quod vero ad si-
tum inter frontem mentumque po-
sitæ sunt. Definio enim malas partes
illas, quæ ab ore sursum eminentio-
res procurrunt. Cui igitur parti sine
naturæ ylo dâno malas opponimus?
Coxis. hæ enim multa carne vestitæ,
succo & sanguine irrigatæ sunt, inter-
que ventrem superiorē, & tibias me-
dium locum occupant. Pariterque,
ut tertiam faciei partem malæ; ita to-
tius corporis tertiam tenent. Itaque
si malis Natura næuum impresserit,

coxis

coxis quoque impressum puta: ita tamē, vt si in partibus naso vicinis apparet, adhærere partibus naturæ loco vicinis, siue anterioribus, siue posterioribus intelligatur. Quo quidem confinio fit interdum, vt cùm proximus naso constitutus sit, ipsa quoque verenda contingat, vt iam in principio adnotauimus; Sed si propè maxilam, locum suum in natibus habebit. Quia verò non sine valle monte, nec sine concavitate aut sinu promontorium inuenias, ita supercilia cauum oculorum, siue sinum adiunctum habent. Quare cum supercilia humeros, quasi mons motem, ita sinus oculorum axillas, quasi vallis vallem respiciunt. Næuisque qui in oculi cauo præsertim inferiori conspicitur, certo certius alium sibi in axilla positum esse indicabit; Cum hac quidem diffe-

differentia, ut si versus nasum ad angulos maiores, quos *gavrygas*, siue *πηγαῖς* Græci nominant; quod inde lacrymæ maient, næutis declinet, dici possit, quasi in vicinia pectoris, hæc rere.

Si vero versus tempora ad angulos minores, siue *παρωνιας*, recedat, intelligi debeat dorso propior esse. De naso, & oculis dicere supersedeo, cum lippis penè & tonsoribus notum sit, quam partem corporis repræsentent; Cumque modesti hominis esse ducam celare, ac velare potius pudendi membra imaginem, quam in facie ipsa detegere. Si quis tamen honesto sciendi desiderio nullam velit naturæ partem philosophico studio excludere; per se quidem, si oculos animumq; animaduertat, curiosam poterit, & quasi nuptam scientiam adipisci. Etenim si quis porrectam

nasi

nasi formam, & oculorum pupulas annexas considerat, ipsam mox partem, qua vir est, & ius testimonij habet, non vanâ omnino cōtemplatione complectetur. Deinde si examinare næuos volet, non difficulti iudicio à naso ad penem, à palpebris ad scrotum, dextro sinistrove teste obseruato, comparationem transferet. In fæminis os, ut plurimùm aruum genitale commonstrat, & à laborum ratione, nescio quid simile ad naturæ alas deduci solet: in quibusdam tamen alia non remota lacuna, quod in viris perpetuum est, figuratur. Aures verò, quæ tanquam alæ capiti vtrique adhærent, cui rectius parti, quæ brachijs, quæ & ipsa quasi alas corpori natura affixit. Rectè igitur næuus in auribus, aut circum existens, brachia nœuo insignita esse ostēdet. Quia
verò

verò in varias brachium partes distin-
ctum est: in spatiū, quod ab hume-
ro ad cubitum descendit; in lacertū,
siue spatiū à cubito ad carpum pro-
ductum; denique in manū: expe-
rientia ipsa certissima naturæ hac in
parte ministra edocuit, næuo, qui vi-
cinus auribus est, alium in superiore
parte brachij humero vicinū respon-
dere: Sed illi, qui super aures, alium in
lacerto congruere. Discrimen tamen
est in superiore sui parte, siue in pin-
na, an in media, an potius in inferio-
re, siue ansa næuum auris habeat. Si
enim in superiore, næuum lacertus
habebit, cubito proximum: si in in-
feriora, lacertus næuum dabit, vicinū
manui: si in media, siue meatu, ip-
sa manus næuum porriget: Ipsa qui-
dem vola, si ab intima parte auris, si-
ue concha deriuauerit: Dorso autem,

si ab

si ab extima parte acceperit. Quia vero, ut superius monui, *adūvator* videbatur in tam pusilla imagine tantam rerum varietatem exprimere, tamque exiguo loco tantam totius corporis machinam quam distinctissime laudate, praeter faciem membra quædā conspicua diuinus ille architectus fecit, partim ut sine adminiculo ullo comparationis per se cognosceretur, partim, ut ad reliquas corporis partes explicandas cum facie concurrenter. Cum igitur tibiarum pedumque figuram satis distinctam facies non caperet, successerunt lacerti, manusq; sine ullo verecundie danno pariter nudæ, & hanc descriptionem perfectissimè expresserunt. Itaque quemadmodum aures brachia, sic brachia tibiae repræsentantur. Tanta enim similitudo vtrorumque est, ut eadem pe-

nè partes, & ijdem articuli ad paria
quasi munia apti prompti que nume-
rentur. Hinc inuenti quidem non se-
mel fuere, qui manuum defectum pe-
dibus; pedum manibus suppleuerunt;
quibus scribere pedibus, pingere, te-
xere, dare, accipere facile; gradi au-
tem manibus necessarium, atque ex-
peditum fuit. Si quis igitur næuus
lacertum, manum, digitumque pre-
met, tibiam pariter, pedē, digitum-
que pedis eodem ordine situque obti-
nebit, Iam verò buccam mentumq;
quo nisi ad ventrem pubemque refe-
ras? Mehercle, neque lac lacti, neque
ouum ouo esse similius potest, si vtra-
qua ista curiosius componas. Bucca
carnea, & talis venter est; & vt men-
tum, sic pubes pariter eminet: vt il-
lud faciem; ita hæc abdomen termi-
nat, & claudit. Hinc quidem næuus

in bucca constitutus alium in abdo-
mine secundum positionem dextri,
atque sinistri reuelabit. Ita quidem si
propè cauum inferioris labri inuenia-
tur, latere prope vmbilicum, si in ver-
tice, vt ita dicam, menti, hærere ex-
trema pube intelligatur. Philtrum
autem siue caū labri superioris sub
naribus, quām aptissimè, e compara-
tione confiniorum, perinæum, siue
interstitium inter scrotum & sedem
exprimit, atque ita næui utrobiusque,
quam facillimè colligantur. Haec-
nus quidem, & à proportionibus, qui
bus corporis partes cum facie, & in-
ter se consentiunt, & à similitudine,
qua figuram, materiam, situmq; par-
tium corporis faciei partes repræsen-
tant, satis superque eruisse mihi ratio-
nes videor, quibus certa & definita
næuorum regula constituatur. Reli-
quum

quum nunc est, ut quod initio quoque proposueram, caussam aliquam à cælo ipso deriuem. Etenim si à diuinis illis machinis humana corpora (quod in herbis alijsque ignobilioribus fieri doctissimus Porta demonstrauit) quasi à sigillo quodam certas notas atque characteres recipiunt, quibus planetarum in singula dominium distinguatur; cur obsecro dictu absurdum sit, à Stellis sideribusque in tam egregium ordinem, atq; horum à suprema mente coactis quemque nostrum dum gignimur, effici, signumque recipere, quo à suo astro corpus quodque, & membra quæque dependere, regi, ac quasi signari videantur. Hinc quidem Ptolomæus aurem dextram, vesicam, splenem, & ossa Saturno attribuit: manus, pulmones, hepar, sanguinem, & lemen

Joui:

Ioni: aurem sinistram, renes, & genitalia Martis: oculos, cerebrum, cor, nenuos, cæteraque dextera Soli: narres, os, & pudendum Veneri: linguam, mentem, & rationem Mercurii: gulam stomachum, omniaq; sinistra Luna: Hinc etiam signis Zodiaci corporis partes distributæ sunt, Arieti: quasi capitis presidi, facies, oculi, aures: Tauro collum, & gula. Gemini spatulæ, brachia, manus: Cancro pectus, mamillæ, venter superior, splen, & pulmones: Leonis cor, stomachus, diaphragma, & spina dorsi: Virgini venter, & intestina: Librae renes, vertebræ, latera, & lumbi: Scorpionis clunes, genitalia, & vesica: Sagittario coxae, atque etiam latera, & genitalia: Capricorno genua: Aquarii tibiæ: Piscibus pedes. Existimauit præterea astrologi quemq; pla-

netarū partibus corporis singulis dominari, sed secundum varietatem signorum, in quibus generationis cuiusque tempore existeant, dominium variare. Quo quidem ordine in Aries: Saturnus pectus obfiderit, Jupiter ventrem, Mars caput, Sol latera, Venus pedes, Mercurius tibias, Luna genua. In Tāuro Saturnus ventrem gubernat, Jupiter dorsum, Mars collum, Sol genua, Venus caput, Mercurius pedes, Luna collum & tibias. Atque ita deinceps mutant variantq; hoc imperium, & in corpore humano secundum Stellarum fixarum diuersam posituram, diuersimodè vim & characteres imprimunt. Quæ omnia, quia longè à limitibus argumenti mei recedunt, nō prosequor. Quod verò ad næuos attinet, videntur illi quidem velut note aliquæ à signis ce-

lestibus impressæ humano corpori,
non tantum situ, aut forma, sed ipso
quoque colore variæ, ut in ipsa geni-
tura Planetæ cuiusque & sideris do-
minitum obtinet. Quare cum par-
tes singulæ faciei cum reliquis cor-
poris partibus affinitatem, & neces-
sitatem certam habeant, easdemque
in prototypo repræsentent; naturæ
congruum erat, ut qua nota siue
charactere pars corporis à dominan-
te Planeta, atque astro insignita erat,
eadē etiā parva faciei particula, quæ
illam corporis partem exprimit, figu-
raretur. In primis si nota siue cha-
racter ille eiusmodi sit, ut magnitu-
dine sua, statim ac facile in oculos
incurrat. Id enim non tantum solo
dominio huius illiusve Planetæ, aut
signi, sed coniunctione Planetæ cum
signo euenire solet. Evidenter au-

temp, si bona, aut mala sorte coniunctio ista in Planetam, qui idem cum sidere habebit dominium, incidet. Ita enim, & Planeta, & sidus pariter, & coniuncto influxu partem corporis afficiunt, notamque imprimunt, & grandiorēm, & suo quasi colore tinctam. Atque hæc tertia vltimaque Næuorum ratio est, sic satis in vario, & iucundo Doctrinæ huius gustu delibata; nam ut omnia, quæ ad perfectam absolutamq; perfectionem examinanda, curiosa Astrologia inuenit, producerem, neque Genij, neque etiam instituti mei fuit: cùm secreta illa, & sapientius superstitione astrorum libare, non penetrare; intelligere, non profiteri: cùmque in Næuorum hac explicatione non tanquam Astrologus, sed tanquam philosophus versari vo-

Iuerim: quem ut non modò scriptis,
sed vita, & moribus etiam agam, èter
num sapientiæ numen rogo.

FUNGI.

admodum raro. multo ab aliis luctuosis. et
difficiliter determinari. Vt ceteris.
Anabolis.

admodum raro. multo ab aliis luctuosis. et
difficiliter determinari. Vt ceteris.

admodum raro. multo ab aliis luctuosis. et
difficiliter determinari. Vt ceteris.


APPROBATIO.


Imprimatur.

*Fr. Michael Ang. de Forl. Sac. Theolog.
Lector, & Vicar. Generalis Inquisit.
Mediolani.*

*Aloysius Bossius Can. Ordin. Theol. pro
Illustriss. Cardin. Archiepiscopo.*

Vidit Saccus &c.





Septatius mourut le 15 —
Septembre 1655. âge de 82
il eut seize enfans dont
treize vécurent.